



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Arnvlphvs Ep. 16. Augusti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

spolio, corpusculo Virgineo, sed etiam hoc brevi spolianda. Etenim cum, ita Numine volente, se-
rius è XII. proceribus Thomas advenisset, & amif-
sam Matrem etiam in tumulo moestus quæreret,
præter lintea, tam magni thesauri nuper involu-
ta, nihil reperit; quòd cælum etiam Corpus sub-
duxisset. Ah liceat amplexis pedes, & in hederæ
morem alligatis dicere: Nunc, si terram nauseas,
Virgo, scande Cælum. *Ex Brev. Rom. &c.*

*Precessit nos Regina nostra, precessit, & tam glo-
riose suscepta est, ut fiducialiter sequantur Domi-
nam servuli clamantes, Trahe nos post te; in odore
unguentorum tuorum curremus. S. Bern. serm. I. de
Ass. B. M. V.*

S. ARNVLPHVS EP. 16. Augusti.

Sæpè matres & viva filiorum funera malè ris-
dent & malè lugent mortua; id quod ARNVL-
PHI etiam mater primò factitabat, dum quem pri-
mum enixa est filium, spem unicam familiæ, sed
morte intemptivâ sublatum non posse deslere
satis sibi videbatur. Sed monuit bonus Genius
æquo animo ferret, quod non posset non ferre;
qui maximè oculis arriderent flores, hos primos
carpi. Non invideret filio Cæli contubernium, in
omnia vitia, si porro ivisset, atque aded latronum
societatem abripiendo. Potiùs nascituri alterius fi-
lii spe animum erigeret, qui vitæ sanctioris famâ
orbem esset impleturus. Atque hic ARNVLPHVS
noster fuit, aulam primò & militiam, tum mona-
sticen secutus, eo semper vitæ tenore, ut dubium
penè fecerit, sanctiõne miles an monachus fue-
rit. Ex hoc Abbas, ex Abbate Pontifex Sueffione
ita gessit, ut extremum ægro ter concussum cu-
biculum ter spectaculum objecerit jucundissimum
mo-

morituro. Nam primò videre Apostolorum Principem habuit, qui noxarum veniam largissimam nunciabat: mox caelestium agminum Primipilum, qui commentum in caelum promittebat; demum ipsam caeli Reginam, quæ festo sibi, quo caelo recepta fuit, die, recipiendum caelo etiam ipsum indicavit. Tanti, ô Superi! tanti ægrotare etiam mihi foret! *Ex Surio.*

Pretiosa mors Sanctorum, pretiosa planè, tanquam finis laborum, tanquam victoria consummatio, tanquam vita janua & perfecta securitatis ingressus. Bern. in epist.

S. ROCHVS CONF. 16. Augusti.

Nascitur Rochvs loco perillustri in Gallia, portentosa Cruce à matre rubens: ætatis anno duodecimo, amissis parentibus etiam opes in pauperes abjicit; ipse ditione suâ patruo commissa, Italianam Religionis causâ petit. Hic dum laborantibus peste servitium suum addicit, magnâ omnium admiratione quàm plurimos sanitati Crucis signo restituit. Secundùm hæc divinitus edoctes, quibus malis porro exercendus esset, acutâ primùm feбри tentatur, mox sagittâ coxam trajicitur. Sævus boni Angeli ope, dum in patriam repedit, iterum æger ex ianua sub arbore decumbit, annonam in dies singulos panem unum cano ministrante. Redux denique in suam ditionem, eandem domi, quam foris fortunam, hoc est inquam reperit. Grassantibus enim per ea tempora ubique bellis, pro exploratore habitus captusque ab ipso patruo hospitio publicitus, hoc est, carcere excipitur. Hoc cum mille modis absolvere se ipsam posset, quinque ipsos tamen annos delire-